

Orthodoxæ sufficienter ex sola & unica scriptura probari possit, quia tamen tela adversariorum non ex scriptō Dei, sed ficto rationis de promuntur armamentario, hinc fit, ut ea non tam facile & dextrè propellere queamus, si Philosophiæ ignari extiterimus. Accedit, quod plurimi in Theologiâ occurrant termini, iisque difficiles s̄epe & obscuri, (quod locos Theologicos perlustranti patet) quos antea è Philosophiæ penetralibus cognovisse debemus, si feliciter controversias Theologicas decidere & componere optamus. Inde rectè dixit, quicunque dixit: Nisi accuratiūs homines incipient philosophari, futurum, ut nullus sectarum, nullus errorum sit finis futurus, quandoquidem hac ignorantie accidat, ut neq; accipere legitimè, neque reddere rationes disputatores imperiti valeant. Quem in finem narrat Severinus Boëthius, Philosophus Romanus, quòd, cùm lecta esset Epistola Concilii Chalcedonensis, in quâ dictum, Christum unam quidem esse Personam, in illo tamen duas esse Naturas, interrogaverint, quid discriminis esset inter Personam & Naturam, omnesq; clamaverint de Personis & Natura, nemo tamen assignare potuerit, quidnā Persona esset. Vide B. Chemn. p. I L. L. c. 4. Maluit quidē Ecclesia simplici sermone uti, & sicut credit, ita etiam loqui, sed propter varia exorta Hæretorum certamina, Ecclesiam coactam fuisse, terminis uti Philosophicis, quo nempe Hæreticos è latibulis suis protrahere potuerit, ipsimet factentur Theologi. Eorum igitur opera minimè contemnenda videtur, qui terminos hos è Philosophia petitos exponunt, & in quo significatu sumendi sint, ostendunt. Hinc Exercitium de SUBSISTENTIA Eruditorum censure subjicere animum induxi, solâ ad id duct⁹ rei quam præstat ejus in Theologia cognitio, utilitate; difficultas quidem absterrere nos potuisset, at summa ejus nos vicit utilitas. Quæ quoq; Lectorem, cui quicunque sit, omnia bona precamur, eò permoverebit, ut sinistra, quæ ea de re fortè ferri possent.